ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. PGB 988

Tisenjo

Loveno, 18 gennaio 1970

Curia Generalizia - Roma

KATHOLIEKE UNIVERSITEIT
LEUVEN

SEMINARIUM PHILOLOGIAE
HUMANISTICAE
LEOPOLDSTRAAT 32
LEUVEN (BELGIE)

Ex agro Parcensi, die 18 ian. 1970.

Iosephus IJsewijn Patri Pigato suo S. P. D.

Totus fere mensis elapsus est a quo me scripsisti omniaque fausta in novum annum optasti. Iam tandem respondi scripto, animo saepius feci. Sed tot tantisque muneribus semper obruor et affligor ut ne per ferias quidem amicis scribendi tempus supersit. Luctor et emergo, leo Zelandicus dicit. Et ego luctor, numquam emergo. Haec etiam pauca scripsi bis interruptus. Quid igitur? Priusquam denuo avocer, te iterum iterumque valere iubeo. Fieri potest ut hoc anno in Italiam per paucos dies iter faciam. Spero te Comum adire amicitiamque post longum intervallum coram renovare.

Florent liberi et uxor. Ut pro nobis apud Deum ores rogo, nos tui memores erimus. Sospitet te diu omnipotens, qui proh dolor nuper Tondriaum ex acie latina subito devocavit. Vale!

t. t.